



*Oo Bo* A 231  
6

Hist:  
III C. 1

*ab* ECCLESIA ET ACADEMIA LIPSIENSIS  
30  
**LVTHERANO-EVANGELICA:**

HOC EST,

# **ORATIO SAECVLARIS**

IN

**IVBILAEO ECCLESIAE ET  
ACADEMIAE LIPSIENSIS**

IN DEI GLORIOSISSIMI LAVDEM ET HONOREM,  
INQVE MEMORIAM ADMIRANDAE VTRIVSQUE LIBERATIONIS E  
REGNO PONTIFICIO ANTE SAECVLUM, AN. MDXXXIX. IPSO DIE PENTE-  
COSTES, QVI XXV. MAII FVIT, COELITVS DONATAE, RESTAVRATAE QVE  
IBIDEM PVRIORIS DOCTRINAE EVANGELICAE,

HABITA ET DICTA

**IN TEMPLO PAVLINO ACADEMICO**

IPSO DIE PENTECOSTES,

QVI ERAT II. IVNII, ANNO CIO IDC XXXIX.

A

**L. ANANIA WEBERO,**

SS. TH. P. P. ET ECCLESIAST. AD D. THOMAE.

---

ANNO SECUNDО IVBILAEO REFORMATIONIS  
LIPSIENSIS M DCC XXXIX.

TYPIS REPETITA.

---

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.

LCCIISSA ET AGADIIU LIBERI  
LATHENIANO MAGNETICO:

HOC EST

CATALOGUS SACRAVARS

LIBRARIO BOSTONIAE ET

AD LIBRARIAE LIBRARIIS

THEATRO LIBRARY OF THE HOSPITAL

OF THE HOSPITAL OF ST. JOHN IN JERUSALEM

CATALOGUS LIBRARIAE LIBRARIIS

WILLIAM O'BRYAN LIBRARIUS

LIBRARIO BOSTONIAE

I.

LIBRARIO BOSTONIAE

WILLIAM O'BRYAN LIBRARIUS

LIBRARIO BOSTONIAE

WILLIAM O'BRYAN LIBRARIUS

LIBRARIO BOSTONIAE

WILLIAM O'BRYAN LIBRARIUS

PER QVAM REVERENDO, GENEROSIS,  
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS AC MAXIME  
STRENVIS DOMINIS,  
DOMINO  
HEINRICO a FRIESEN,  
IN ROETHAV HAEREDITARIO,  
CONSILII SANCTIORIS, IN ILLVSTRISSIMA ELE-  
CTORIS SAXONIAE AVLA, IVDICIIQVE SVPREMI APPEL-  
LATIONVM PRAESIDI EMINENTISSIMO, CAPITVLI MAR-  
TISBURGENSIS PRAEPOSITO SPLENDIDISSIMO, ET ROCH-  
LICENSIS, COLDICENSES, BORNENSIS, AC LEVSNICENSIS  
DIOECSEOS CAPITANEO SPECTATISSIMO, ATQVE  
SVPREMI AERARII PROVINCIALIS PRAE-  
FECTO PRAECLARISSIMO, ETC.

NEC NON  
DOMINO  
**F R I D E R I C O M E T S C H ,**  
IN REICHENBACH ET FRIESEN HAEREDITARIO,  
SERENISSIMO DOMINO ELECTORI SAXONIAE CONSILIA-  
RIO INTIMO, ET CONSISTORII SVPREMI, QVOD DRESDAE  
EST, PRAESIDI EMINENTISSIMO, ETC.  
DOMINIS ET PATRONIS MEIS MAXIMIS  
ET AEVITERNVM SVSPICIENDIS,  
IN GRATIAE MENTIS TESSERAM ET STVDIORVM MEORVM  
VLTERIOREM COMMENDATIONEM  
SERMONEM HVNC JVBLAEVM  
LIBO CONSECRQVE  
L. ANANIAS WEBER, SS. THEOL. P. P.  
ET AD D. THOMAE ECCLESIASTES.



## DEO OPTIMO MAXIMO AVT O R E.

*Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro: Psalm. 95.  
praeoccupemus faciem eius in confessione, et in Psalmis v. 1. et 2.  
iubilemus ei.*

**I**ceat mihi, Rector Magnifice, Pa-  
tres Academiae conscripti, Viri  
Stemmatae ac virtute heroica, per-  
verenda Amplitudine, Consulari Di-  
gnitate, Iustitiae splendore, Hygeae  
claritate, Sophia, doctrina, pruden-  
tia et rerum usu ac meritis in omnem  
Hierarchiam Praecellentes; Tuque  
literariae Iuuentutis flos nobilissime et ornatissime; Omnes-  
que veritati Lutherano-Evangelicae addicti auditores hono-  
ratissimi; Liceat, inquam, mihi hodiernam festiuitatem  
saecularem et iubilaem verbis hisce Hiero-Psaltae mera  
iubila et gaudia exposcentibus ordiri. Cum enim bo-  
nis omnibus semper ob fontem benignitatis diuinae  
perennifluum ad sacrosancti Nominis Iehouae laudes

A 3

se

se campus aperiat: Attamen tum praecipue se non capit exundantis laetitiae magnitudo, sed dignata peccatoris angustias, ita multa et candida foris prominet, et ubique facundiam habet ancillantem, cum singularia maximeque luculenta coelestis munificentiae exempla erumpunt.

Vere enim dixit Ennodius: *Facilius est ignem in pyras animatum lingua comprimere, quam silentium inter optata seruare.* Dicam et ipse, quod res est, et hodierna festivitas flagitat. Prae reliquis singulari gratia et diuinae clementiae largitate *fortunatus est hodiernus dies*, quo tot mundo dona data, tot Ecclesiis scholisque et in primis huic nostrae Lipsiensi cum *Ecclesiae tum Academiae* bona nata sunt. Fas itaque & iustum est, piorum sensus intimius commoueri, linguas in plausus diuinae Maiestatis erumpere, in cantus barbyton excitari, et nabilia lyrasque blande expediri.

Vere dies hic hodiernus est munificus. Quia post missionem filii Deus hodie maximum illique proximum suae erga nos bonitatis exhibuit argumentum, dono immenso, dono sibi aequali, et quo maius dare non potuit nos coelitus munerans. Vnde καὶ ἔχει Ambrosius et Paschasius Spiritum sanctum munus et donum appellauerunt. O donum supra donum! O dignationem nullo hominis affectu exprimendam! Non satis erat Deo, dare filium ad redemtionem, gratiam omnem effundit, dum donat Spiritum S. ad filialem adoptionem. Instar piae matris coelestis Pater gemina nobis praebere voluit vbera, filii gratiam et Spiritus sanctissimi efficaciam, suam imaginem, filium, suum amorem, Spiritum sanctum. Quasi certare hic videntur coelum et terra. E terra Christus ascendit; e coelo Spiritus S. descendit. Coelum Christus vix ingressus erat, et in terram Spiritus

*Ambros. in  
Symb. Apost.  
Paschasius in lib.  
de Corpore et  
Sanguine Do-  
mini.*

th*s*

rus S. effunditur. O quae lingua beneficio huic edif-  
ferendo par esse poterit?

*Eia igitur venite, exultemus Domino, iubilemus Deo* Psal. 95. v. 2.  
*salutari nostro; Praeoccupemus faciem eius in confessione, et* et 2.  
*in Psalmis iubilemus ei.*

Vere dies hic hodiernus iubilaeus est toti Ecclesiae Euangelicus? Apud Hebraeos annus quotusquisque quinquagesimus iubilaeus et sanctus erat, ac magna cum laetitia decimo die mensis septimi tubae clangore et sonitu omnia viarum compita vrbesque perstrepsente solenniter indicebatur, omniaque ad pristinum libertatis, possessionis et familiae statum gratis redibant, nec erat ullus visucapioni ac praescriptioni locus. En typum uniuersalis Iubilaei, die post resurrectionem Iesu nostri quinquagesimo, ipso die Pentecostes Spiritus S. super Apostolos et discipulos Iesu effusi, efficacia et ministerio illorum peragendi! Tunc enim buccina Euangelii Hierosolymis tubicine Apostolorum et Discipulorum Christi choro clangere coepit, et sonitus eius diffusus est ab oriente ad occidentem, a mari usque ad fines terrae. In omnem terram exiuit sonus eorum, et Rom. 10.18.  
verba illorum in fines orbis terrarum. Vbique vox sonuit Isaias 61. v. 1.  
in compitis praedicans captiuis liberationem, ligatis solutio- et 2.  
nem, aegrotis sanationem, et annum Domini acceptum. Ho- Ezech. 1. v. 5.  
die quatuor animalia sancti Euangelistae et praecones ver- 6.7. etc.  
bi currunt Euangelicum in totum orbem protraxerunt:   
Spiritus fuit in rotis et impulit illas. Merces, quae hic Apoc. 4. v. 6.  
vehitur, sunt munera coelica, aurum gratiae, obryzum 7. 8.  
remissionis peccatorum, gemma iustitiae, arca vitae et  
salutis aeternae. *Eia igitur venite hodie, exultemus Do-* Psal. 95. v. 2.  
*mino, iubilemus Deo salutari nostro; praeoccupemus faciem*  
*eius in confessione, et in Psalmis iubilemus ei.*

Vere hodiernus dies Iubilaeus est nostrae Lipsiae in-  
que

que ea Ecclesiae et Academiae Lutherano-Euangelicus! Saeculum  
 hodie in orbem redit, quo centum ab hinc annis  
 Deus misericordiae cataractas super nos effudit, et  
 autoritate ac iussu Principis Christianissimi, Henrici, opera  
 que incomparabilis Theologi Dn. D. Lutheri et aliorum  
 magni nominis Virorum Papatum Romanum ex hac  
 vrbe, et templis et auditoriis publicis penitus elimina  
 uit, fraudes, blasphemias, superstitionem et imposturas  
 Bestiae Romano-Babylonicae abrogauit, facula verbi  
 sui et orthodoxae doctrinae multorum suspiriis diu,  
 et quamprimum in hisce oris radiare coepit, quae sitae  
 et expetitae, reaccensa. O ingens beneficium! O illustrem  
 p[re] omnibus gratiam! Tale hoc est beneficium, quod  
 nullius ingenii opulentia, nullius dicendi copia con  
 ueniente orationis ambitu exprimere potest. Talis est  
 gratia, quae alia in vniuersum omnia, quantum aeter  
 na caduca, immortalia lubrica, diuina humana, longissime  
 anteuerit. Ad buccinam hanc Euangelicam  
 in hac vrbe publice clangentem, vere ex squallido Capitolini  
 Quaestoris carcere captiui dimissi, debitores  
 gratuita peccatorum remissione condonati, exules in  
 patriam et gremium Ecclesiae recepti, et exactoris iu  
 go confracto in veram libertatem sunt asserti. Et pro  
 pterea non iubilemus? non tripudiemus? Non vota  
 precesque Regi Regum et Domino Dominantium litemus?  
 Vtique pietatis ratio, scripturae sacrae monita, et ce  
 leusmata, piorum documenta et exempla, ipsumque re  
 nascensis verbi et veritatis, qua templa et auditoria no  
 stra tam interna quam externa felicissimis radiis irri  
 gata sunt, illustre beneficium ad pia gaudia et gratitu  
 dinis thura quemque piorum extimulant.

Venite ergo exultemus Domino, iubilemus Deo saluta  
 ri nostro: Praeoccupemus faciem eius in confessione et in Psal  
 mis

mis iubilemus ei. Omnia, quae in nobis sunt maxima,  
 minima, in laudem Dei nostri gloriosi diffluant. Exul-  
 tent oculi nostri, quia non amplius idolorum inanias  
 et impias Missas, sed Christi *sacra et sacramenta* spectant.  
 Exultent aures! Non Papae decreta et humana com-  
 menta, sed illibatam *Euangeli* doctrinam percipiunt.  
 Exultet lingua! Nam sine humanarum traditionum  
 interuentu gloriosae *Triadi* laudes precesque debitas  
 persoluit. Exultent manus nostrae! Non amplius  
 Bestiae Apocalypticae characterem suscipiunt, quin po-  
 tius illibatae ad Deum extenduntur. Exultent genua!  
 Coram Christo non Anti-Christo et idolis curuantur.  
 Exultent pedes nostri! Non ad loca sacra, ad ossa, ad  
 cineres aliasque reliquias trans maria et montes, sed in  
 via Domini tuto ambulant. Exultet anima nostra, et  
 magnificet Dominum, et exultet spiritus noster in Deo  
 Seruatore nostro, quia magnifice nobiscum egit potens  
 ille, cuius nomen sanctum est, et cuius misericordia pa-  
 rata est timentibus eum. Paret sancta nostra *Ecclesia*  
 et vniuersa concio *Lipifica*, quae praeeunte *Mysteriarum* fide-  
 lium voce pro restitutae Religionis orthodoxae παλι-  
 γενεσίᾳ Deo grates persoluit, et labiorum sacrificia incen-  
 dit. Cui merito alma nostra mater *Academia*, quae et  
 ipsa mox a barbarie scholastica et coeno pontificio vin-  
 dicata fuit, vestigia iungit, et me indignum pii sui de  
 inenarrabilis huius diuini beneficij opimitate intus con-  
 cepti gaudii, cordisque et linguae eucharisticae ac vo-  
 tiuae interpretem in hac solenni Panegyri constituit.  
 Etsi vero nec loco huic amplissimo, nec Centenariae  
 laetitiae solennissimae, nec vestrae expectationi proli-  
 xae satisfacere possim, *Niciae* tamen *Piñoris effatum*,  
 quo non minimam partem artis pingendi in eo sitam  
 dicebat, ut res eligatur penicillo digna, quaeque spe-

B

stan-

stantium oculis sit idonea, sequar, et argumentum loco et tempori conueniens et vestris auribus respondens, in medium adducam. Lipsiam nempe Euangelicam, dicam Hierosolymam Apostolicam, h. e. Comparabo iubar Euangelico - Lutheranum Lipsiae bodierno die ante saeculum exortum, et solennem reformationem Ecclesiae et Academiae, cum miraculosa et maxime miranda promulgatione Euangeli ipso die Pentecostes Hierosolymis a Spiritu sancto facta et magnifice peracta. In hoc triumphabit et exultabit nostra oratio. Vos Auditores fauissimi, quanta accessisti frequentia, tanta quoque humanitate et beniuolentia sermonis mei, nullis pigmentis colorati, nullis lenociniis compti, nullisque elegantiae flosculis exornati cursum subleuate, et mecum supplices orate:

*Veni sancte Spiritus*      *Et emitte coelitus,*  
*Lucis tuae radium,*      *Veni Pater pauperum,*  
*Veni dator munerum,*      *Veni lumen cordium,*  
*Doce, illumina, et sanctifica nos,* *vt tibi grata nobisque sa-*  
*lutarria dicamus, audiamus, faciamus, Amen!*

*Psal. 68. v. 12.* **S**ic namque, sic prorsus est, Auditores suauissimi, quod **O**mnis boni dator et diribitor Deus clementissimus per os *Prophetae* dixit, fore, vt verbum magno cum exercitu Euangelizantium daturus sit: illud certe decimo post ascensum die (Iudei Pentecosten vocant) retro mille sexcentis septem annis large et abunde praestit, quando

*Spiritus sancti gratia*      *Apostolorum pectora*  
*Repleuit sua gratia,*      *Donans linguarum genera,*  
*Misit per Mundi climata,* *Fari verbi potentia,*  
*Vt praedicarent variis,* *Linguis omni creaturae.*  
**Q**uod stupendum et vere miraculosum vniuersalis praeconii Euangelici initium sensu quidem proximo primi-  
tiuum

tiuam Ecclesiam, et praeconiatores eius Apostolos in vniuersum mundum allegatos variisquam extra ordinem charismatibus exornatos concernit; Postea tamen per quandam anagogen et σύνησιν ad totius euangelii prædicationem, Ministeriique in Nouo Testamento propagationem, et in primis etiam ad augustam illius apud nos instaurationem et vere miraculose institutum orthodoxum primum præconium sat commode referri et accommodari potest.

Hanc autem meditationem initio suadet antecedentis. Pars collatæ temporis utrobique tristissimi, præsentis autem suauissimi, cunctum tem-  
ratio et conuenientia. Primordia vera N. T. Ecclesiae, cunctum tem-  
pus utrobique Iohannes Baptista Vir diuini Spiritus sanctitate et zelo antecedens tri-  
incomparabilis, amicus et pararius Saluatoris iecerat fessimum, in-  
Christus ipse baptismo in Iordanе suscepto ad Ministe- fians vero et  
rium consecratus coeleste semen spargere, et passim præsens lae-  
docere Euangeliū, verbisque et factis diuinissimis, quis tissimum.  
effet, declarare cooperat. At rabiebat mundus, et no-  
num (vt videbatur) dogma, et fidereum illum verita-  
tis splendorem insecatabatur. Herodes capite plectebat Baptistam, in Messiae necem Synedrium male-dominan-  
tium conspirabat Hierosolymis, nec cessabat aduersus saluatorem odio aestuare, usque dum cruce, supplicio illo teterrimo et quae sitissimo, vt Tacitus vocat, eum deletum et extinctum oculis usurparet. Actum iam videbatur cum tota Ecclesia recente, caelus erat Pastor,  
oues dispersae, triumphabant hostes seruatoris et insultabant Christicolis: vbi nunc Messias uester et Salua-  
tor? Nonne misere extinctus iacet? Vbi sonora vox illius? Nonne euanuit? Vbi toties ab ipso promissum coeleste regnum? Nonne periit? Peragebant impii Iudei sacra sua publice, et Pascha ac Pentecosten cele-  
brabant: soli Discipuli Iesu ne hiscere quidem aut mu-  
silare

*Libr. 2. Hist.  
Eccles. c. 4.*

sitare audebaut; sed coenaculo in domo *Iohannis Evangelistae*, quae sita fuit ad radices montis Sionis, si Nicéphoro credimus, veluti caueae includebantur. At dum omnia conclamata videntur, exurgit *Dominator* et hostes dissipat; Resurgit *Saluator* et in coelum adscendit dextram Dei occupans, missoque *sacrato flamine* dona distribuit, et per vniuersalem verbi praedicationem totius mundi repurgationem instituit. Ac rei tantae tamque miranda in ipsis pentecostalibus sacris, ad quae ex peregrinis diffitisque locis maxima popolorum copia confluxerat, auspicium facit, ut miraculum diuinum fieret conspectius citiusque diuulgaretur, et fama *Apostolorum* accessum eorum, viuamque vocem anticiparet, ac viam conuersionis futurae quodammodo sterneret.

Te nunc appello *Lipsum*: Vos alloquor beatos cineres, qui ante saeculum spiritum adhuc traxistis. Eloquar, an fileam vestras angustias et miserabile fatum, quo ante pure pute renascentis verbi Dei auroram mitissimam inuoluebamini? *ας εν τύπῳ* ex monumentorum publicorum fide paucis aliquid repetam, et quoad summa fastigia tantum strictum exponam. Vix ope et auxilio summi *Numinis tertius Elias et Megalander Lutherus* noster Antichristi regnum aggressus erat, ac *Gigantem Lateranum* omnibus hactenus terribilem, instar alterius *Davidis*, sacrae paginae funda conteruerat, idolomaniam et superstitionem papanam toti orbi Christiano exposuerat, et verae doctrinae puritatem, detersa errorum caligine, ex limpidissimis Israelis fontibus in lucem reuocauerat; mox veritatis iubar omnium ferme oculos perstringebat, et animos occupabat, adeo, ut integrae *Regiones, Ciuitates, Principes, Reges* diabolicum superstitionis et superbi dominatus iugum bestiae Romano-papanae excuterent, et spoliis illius onusti in triumph-

triumphum irent. Sola Misnia et in primis nostra Lipsia in his oris imperio Ducis Saxoniae Georgii subiecta, In originib.  
cui, referente Fabritio, imponebat mos maiorum antiquior,  
dignitas et potentia Romana, ut Luther et doctrinae Euan-  
gelicae hostis esset infensior, fastuosum Romani Vae-Io-  
nis dominatum alspernari nequibat.

Dux quidem cupiditate incorruptae et seriae tan- Legitur haec  
tae causae cognitionis tenebatur. Vnde famosae Dis- disputatio To-  
putationi, quae a Luther et Iohanne Maiore ab Eck, Pro- 1. Lat. Ienense  
fessore Ingolstadiensi et nuncio Apostolico, homine, p. 242. et seq.  
vt Sleidanus ait, temerario et calumniatore egregio, de et habita fuit  
Primatu et potestate Papae, purgatorio ac indulgentiis Li- Anno 1519. a  
psiae fuit habita, etiam contra voluntatem Praefulnis 4. die Iulii ad  
Martisburgenis non tantum locum concedebat, sed et 14.  
ipsum colloquium saepiuscule auscultabat. Si non gra-  
ue est ipsum Lutherum in literis ad D. Georgium Spala- Fabr. in orig.  
tinum hac de re ita loquentem percipite: Omnia ma- Sax. l. 7 p. 360.  
xime, ait, laudandus est illustrissimus Princeps Dux Geor- Tom. 1. Lat.  
gius, qui vere principali clementia et munificentia nihil omi- Len. p. 294. b.  
git, quod ad felicissimum huius Disputationis fructum facere  
possit, si talis fuisset, vt pura veritas posthabita gloria qua-  
reretur. Denique et sua splendidissima praesentia id nego-  
tii dignatus est mirifice illustrare, omnia cauens et mouens,  
ut modeste et quaerendae veritatis studio agerentur. Ve-  
rum enim vero non deerant, qui Ducem suum non  
tantum disputatione auertebant, purtantes veritatis te-  
stimonio aures ipsius foedari; sed et aduersus ortho-  
doxiā et confessores eius ceu susurrones instigabant.  
Candor quidem veritatis multorum Lipsiensium cum  
ante, tum in primis in disputatione praedita oculos  
perstrinxerat. Nam feroculus Disputator Eccius me-  
ram scripturae ruditatem, sophisticam garrulitatem et  
infamem Romanae Thaidos turpititudinem reuelauit,

34

30

adeo ut vere Petrus Mosellanus <sup>ad virtutem et virtuosos</sup> ad Bilibaldum Pirkammerum scripsit: Eccius clamore, vultu militari ac truci, gestu bistrionico paene, et incessu impetuoso feroculus quispiam apparebat. Omnia illa externa signa corporis animum parum Theologicum declarabant: Dixisse Gorgiam quempiam disputare, non Theologum, adeo leuiter et impudenter se iactabat, magnam adeo iacturam non minis sui apud nos faciens. Leuissime afferit, quae falsa sunt; impudentissime negat, quae pro certo vera, idque cum iactatione sui, quo sit odiosior. Sed (proh dolor!) rabiofa Erynnis et ipsa feritas papana, vt Euangelicam veritatem rursus ex animis piorum euelleret et eradicaret, magna saevitie, et tyrannicis insultibus in Confessores fideles afflurgere.

Vide Chronic.  
Lips. Anno  
1522.

1524.

1525. etc.

Sleidan. l. 9.  
p. 132.

Parum erat, de religione suspecciosos proscribi, exilio infami militari, bonis omnibus denudari, in carceres compingi, Academicos ad Episcopum, allegari; eo etiam etiam progredebatur rabies, vt gladio carnificum aliquot subiecti fuerint. Cumque anno 1530. publicum Religionis exercitium in pago vicino a querubus denominato Elector Saxoniae introduceret, ad quod ciues posthabitis interdictis seuerissimis et capitalibus, Deo magis quam hominibus obediendum rati, excurrerunt, et coena Dominica sub vtraque (vt vocant) usi sunt, inquisitio non absimilis illi, quam hodie dicunt Hispanicam, superioribus accessit. Iubebantur enim Ecclesiarum ministri iis, qui tempore paschali de morte veteri peccata confiterentur, et coenam Domini iuxta Pontificum Decreta perciperent, symbola quaedam veluti tesseras distribuere, quas illi post senatum redderent, quo sciri posset, quinam Pontificium, qui vero Lutheri dogma sequerentur, inque suspectos grauissime animaduerti. Expulit hic rigor Anno 1532. octoginta Jeneris Germ. ta octo Patres familias cum familia et famulitio, hoc est, fol. 11.

octin-

o<sup>c</sup>t<sup>o</sup>ingentas personas simul in exilium, quae conscientiae rationem habentes, ne iugo pontificio saucio pectore denuo succollarent, pro religione aedes et bona omnia ceu fumi vimbram abiecerunt. Imo quid dicam? Ne quid desit furori, metu exilii, mortis, amittendarumque facultatum resiliensibus, verae doctrinae abiuratio fuit imperata, qua testabantur, se a catholica Ecclesia sua gravissima culpa defecisse; et contra assertebant, se omnem errorem Lutheranum deinceps abominaturos, et catholicae Ecclesiae constanter adhaesuros.

Tom. 6. Ien. p. 5.

*Beatus Lutherus Iuramenti formulam Tom. 6. Ienensi recitat, affirmans, hac in re Duxem Georgium Tyrannis omnibus etiam Pharaoni palmarum praeripuisse, cum dominium in conscientias sibi arrogauerit. Longe aliter rem putauit maximus Maximilianus II. quando statuit; Reges, qui conscientiis mortalium imperare velint, coeli arcem inuidere, et terrae potestatem plerumque perdere. Vere et grauiter dixisti, Imperator laudatissime. Nihil certe tam impatiens est dominationis, tam suae spontis, quam religio, quae sola non imperatur, sed ex percepta veritatis opinione accidente superna gratia mentibus instillatur. Quidue hac immanitate vel Britanus, vel Germanus, vel Gallus, vel Hispanus prosectorum, in propatulo est, et Ambrosius dudum expofuit, inquiens: Videntes magnanimos, per iniurias, per inopiam, per incendia, per clades, per supplicia nos creuimus. Proh! nondum satis est. Eas concinnare molitiones princeps senecio, vt post mortem etiam sincerae Religionis exterminium sollicite promoueret, et totam Misniam cum nostra Lipsia libidini Meretricis illius magnae, quae in fronte scriptum habet nomen: Mysterium iniquitatis, aeternum deuoueret. Fata enim filiorum moerens, quos in continuationem certaminis et persecutionis alitos Numen*

alter-

aeternum vitales esse non sinebat, decreuit regionem  
 viuueram cum ingenti thesauro *Austriacis* testamento  
 legare, ni frater *Heinricus Lutheranae haeresi* (hoc enim  
 p. 310.  
*Fabric. Sax.*  
*Illustrat. lib. 9.*  
 fol. 23.  
*Dress. Millen.*  
 6. parte 2. p.  
 452. 453.)

quod hortatu Nobilitatis et statuum, quorum consen-  
 sum prius explorabat, per Legatos fratri significauerat.  
 Hi cum variis argumentorum illecebris principis pien-  
 tissimi mentem inescare et irretire pertentassent, ma-  
 sculum hoc responsum ex historia Christi a Diabolo  
 tentati tulerunt: *Sane vestra haec legatio plane mihi re-  
 praesentauit illud, de quo proditum est in sacris literis, cum  
 Satanias Christo polliceretur totius mundi regna, modo pro-  
 cumbens ad pedes ipsum adoraret. An vero tanti apud me  
 putatis villas opes, ut earum causa, a veritate agnita desiste-  
 re velim? Multum certe vos expectatio vestra fallit.*

Sed quis cladem illorum temporum fando satis

Explicit, aut possit lacrymis aequare dolorem?

Vere Deus durum exhibuit populo suo, vt piae men-  
 tes cum Dauide ingeminauerint: *Quare Deus reiis in  
 Psal. 74. v. 1.  
 et 2.* aeternum, sumare pergis ira tua in gregem pastus tui? Re-  
 cordare coetus tui, te acquisuisse antea, et vendicasse tribum  
*Psal. 13. v. 2.  
 et 3.* possessionis tuae. *Quousque Iehoua obliuisceris nostri in ae-  
 ternum? Quousque abscondes faciem tuam a nobis? Quo-  
 usque reposituri sumus consilia in animo nostro, moerorem in-  
 corde nostro de die? Quousque attoller se inimicus noster con-  
 tra nos? Verum quiescite, quiescite piae animae; Deus  
 vestri minime oblitus est. En noua pentecostalia! Spi-  
 ritui sancto commoda visa fuit Pentecoste, festum illud  
 magnificum et gliosum, quo pluuiam tempestiuam  
 salutis in Ecclesiae nostrae gremium destillaret, moe-  
 stisque moerorem solueret. Hoc est quod dudum ge-  
*Psalm. 104.  
 v. 30.* mebunda columba Ecclesia nostra calidis votis optauit:  
*Emitte, Domine, Spiritum tuum et creabuntur. Ecce re-*  
*tro**

tro saeculo emisit clementissimus Pater spiritum suum, et noua facta sunt omnia, boreas persecutionum sedatus est, pectora tristissima recreata sunt, facies Ecclesiae renouata fuit. *Ipsa pentecostes die Anno supra millesimum quingen-tesimum trigesimo nono Lipsia facta est instar alterius Hierosolymae in terra Mysorum, in qua lux euangelica a pontificiis tenebris vindicata caput primitus extulit, ut inde in omnes cae-teras Mysiae partes felicius effulgeret.*

Agite, videamus principem hunc autorem vtriusque et no-  
strae et nouae illius primae salutis ac laetitiae penteco-  
stalis, quomodo gloriosum se hodie vtrinque exhibuerit.  
Dum ita fremere et frendere aduersus mundi Saluato-  
rem et Apostolos hostes Ecclesiae Iudei, de coelo re-  
pente fit sonitus tanquam flatus vehementis, qui totam  
domum vbi erant sedentes, replet et inflat. *Supernae gra-  
tiae et Spiritus Sancti praesentis symbolum ventus erat ve-  
hementissimus.* Expendite rem distinctius et penitus. Re-  
pentinus erat hic flatus, et hostibus Iesu insperatus, vt osten-  
deret Dei erga pios misericordiam non tardare, sicut ad-  
uersus impios vindicta non cessat. *Robustissimus et ve-  
hementis erat hic flatus.* Montes enim et muri Diabolorum,  
Tyrannorum et persecutorum erant demoliendi. *Su-  
pernus erat ventus, vt indicaret Euangelii cursum non hu-  
manae virtutis, sed diuinae gratiae et Spiritus S. opus  
esse, quod non nisi coelestis aurae gratia inchoatur, pro-  
mouetur, perficitur.* *Penetrans ventus erat, ad excitan-  
dum mentem humanam ad veritatis ardorem, cor ad re-  
cipiendos motus nouos, manus ad bene operandum, pe-  
des ad rite in coeli semita progrediendum.*

*Quid vobis videtur, auditores honoratissimi?* Annon si-  
milis ventus spiravit in Repurgatione nostra nominatis-  
simi? Nullum profecto dubium obstat. *Subitanus et  
vehementissimus de coelo exurgebat flatus die septimo de-*

C

cimo

*Pars colla-  
tionis quoad  
Principem Au-  
torem nobilis-  
simum.*

mo Aprilis Anno supra millesimum et quingentesimum

Vide Ierem. 51. trigesimo nono, qui montem p[re]altum ( Huic sacra pa-  
t[ri]a. t[ri]g[es]im[us] . 51. p[re]al[ta] . Reges terrae conferre solet ) spiritualis

*gina Principes et Reges terrae conferre solet spirituans  
Babylonis propugnaculum fortissimum, Ducem Saxonie,*

Dress. Millen. *Georgium Illustrissimum*. Principem alias in gubernatione

*Georgium Iulus, etiam, Principem alias in gubernatione  
politica laudatissimum, et a subditis instar Homerici Vlysf-*

Saxon. p. 877. bus vehementissimis, antequam re infecta Legati Friburgenses lib. 7. ea redirent et Testamentum consensu Statuum ac sigil-

ga reuert, et Testamentum concordia statutum ac ligio a Cancellario D. Pistorio roboraretur, sternit et plane

*concutit. Imo aura haec inopina et repentina in mortis ar-  
ibid. p. 884.*

Fabric. cit. l. titulo cor Principis illustrissimi adhuc affiat, et velociter per-  
2.878. meat Plebanus Dresdensis. Petrus Isenbergius, agentem

*D. S. Pif. c. l.* animam Apostolum Iacobum, tutelarem suum, aliisque di-

versos sanctos auxiliatores inuocare iubent: Protinus  
Medicorumque D<sup>r</sup> Bassius insi acclamat: Celsitum

*pag. 614 edit.* autem Medicus aulicus D. Rotius iphi acclamat; *Cejula-*  
*Francof. in fol.* *do vestra in politicis causis semper usa fuit hoc proverbio: Re-*

*p. 296. Da sine ambagibus progredi est in certamine via compendiosis-*

*In Arkone fa-* sima. Quare in hac periculosisima via, et ultimo agone potius ius sua ad Christum conficiat. Atque in hac

*In Arbores facili, Illustriss. recta inuocatione sua ad Christum conjugal. Atque in hac dulcissimi Iesu Christi inuocatione Ducem expirasse Lau-*

Vid etiam Du. rentius Faustus clare testatur.

*D. Hein. Hoff-  
gerum in* Hinc spes papistica decollat omnis. *Hic coelestis  
cum consilium de bello ad quod nerui ab*

ventus cruentum coniulum de belo , ad quod heretici  
hoc ducce expectabantur. Lutheranis per Heinricum, Du-

hoc dice expectabant, Euterpeam p.  
cem Brunswicensem, sub Pentecosten inferendo Franco

*furti ad Moenum agitatum dissipat, adeo ut blasphem.*  
2. 452. *Furta voce Dux Brunsuicensis dolorem et indignam*

et effrenata voce Dux Brunneiensis dolorem et indignationem ostenderit vociferans; Malle se Deum potius quam

*Georgium Ducem demortuum.* O effatum vere diabolicum

*Eccl. 17.* et blasphemum! Contra vero o flatum hunc vere diuinum! Ita impletum est illud Esiae: *In te consilium, et in*

Ej. 8. v. 10. num! Ita impletum est illud Eliacae: *Inte coniugium, ex ritum fiet, loquimini verbum, et non existet.* Nam nobiscum

omis

est Immanuel. Is qui habitat in coelis, irrisit eos, et Dominus Psalm. 2. v. 4.  
subsanauit eos. Ita surgente Deo disperguntur inimici eius, Psalm. 68. v. 2.  
et fugiunt infesti foeres eius a conspectu ipsius. Sicut propelli- 3. 4.  
tur fumus, propellis eos; sicut cera liqueficit ab igne, pereunt  
improbi a conspectu Dei. Iusti vero laetantes exultant et gau- Paulus 2 Cor.  
dent in laetitia sua. Nempe fidelis est Deus, qui non sinit 10. v. 13.  
tentari miseros ultra vires, sed praefat una cum tentatione  
excessu et euentum ut sufferre possint. Et manet illud Petri- Petr. 2. Epist.  
num: Nouit Dominus suos e temptatione eripere. c. 2. v. 9.

Gaude anima mea, dextra Iehouae hoc fecit, et ma-  
nus Domini hoc operata est. E secretioribus coeli de-  
super pentecostalis Fauonius sua gratia Lipsiam nostram cen-  
tum abhinc annis hodierno die adspirauit. Dum nam-  
que iure haereditario ad Principem pientissimum et su-  
pra omnem laudem positum, Ducem illum vere constan-  
tem (quo Elogio peccus suauissimum B. Lutherus extu-  
lit) Henricum et Regio amplissima Misnica, et thesaurus  
opulentissimus prorius insperato deuoluitur, prout ab ho- Ioach. Camer.  
mine vaticinante ante multos annos praedictum fuit, en in vita Philip.  
Spiritus S. cor deuotum penetravit, atque ita penetravit,  
Melan. p. 184.  
vt et in oris hisce Misnicis et ante omnia in hac vrbe ve-  
rae Ecclesiae gremium pararet, et absque mora Repur-  
gationis opus aggrederetur. Putabat ipsius Celsitudo, et  
sibi dictum esse: Attollite vos portae capita vestra, et eleua- Ps. 24. v. 7.  
mini portae mundi, vt introeat Rex gloriae. Quodque ab  
Afa (1. Reg. 15. 2. Chron. 15.) Ezechia (2. Chron. 29.) Iosia (2.  
Chron. 34.) quorum normam secuti sunt postea Constanti-  
nus M., Marcianus, Theodosius, Carolus M., Augusti sacrifici-  
mi, olim factitatum meminerat, et sibi incumbere, ac po-  
tissimum suae gubernationis curam esse rebatur. Hinc  
Ioachimus Camerarius in libello de vita Philippi Melanch-  
thonis scribit: Ducem Heinrichum, Illusterrimo Principe Ge-  
orgio Saxoniae Duce mortuo, et totius Regionis gubernatione  
p. 184.

ad ipsum deuoluta, statim de constitutis Ecclesiis et Academia (nostram intelligit) ad Martinum Lutherum et Philippum retulisse, ac priorem statum mutari quam primum cupiuisse. Vere haec est Principis cura potissima, quam sacer fauonius instillauit, a quo ceu primo mobili hoc secundum mobile hanc agendi virtutem indeptum est. Sed pergendum est! Audiuitis ventum Pentecostalem Reformationem: percipite nunc paucis linguis ardentes, tanquam Repurgationis organon et medium, quod hoc symbolo sacer et coelestis ille ignis represe[n]tavit. Meministis e Propheta Ezechiele Viro lineis induito coelitus dictum esse; ingredere in medio rotarum, quae sunt subris cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, et effunde super ciuitatem. Christus, vos mei, est vir ille, cuius indumentum humanitas, et cui dictum est; ingredere in medio rotarum in comitatu angelico coelum, et supra coelum et cherubim ad Dei dextram sede, et hinc effunde prunas ignis, Spiritus Sancti charismata super ciuitatem sanctam.

*Pf. 08. v. 18. 19.  
Pf. 110. v. 1.*

Vidit dies hodiernus complementum, quo Spiritus S. supra Apostolos effusus linguas ipsorum inflammauit, ut disiectae et ignitiae prominuerint. Figurabat hoc visum augustum plane officii Apostolici et sacrosancti Ministerii Organon conuersationisque gentium medium. Verbo, non ferro, stylo, non pilo, loquendo, non praeliando (audiat hoc factio IESVITICA, laqueos, enses, ignem, bombardas in conuersationis medium ostentans!) Regnum IESV propagandum esse manifesto ostendebat. Clamor et vociferatio Israëlitarum muros Ierichus funditus deiciebat. Vox Euangelii est ille clamor, quo Spiritus S. mundi huius Iericho adoritur, et ignorantiae atque impietatis muros expugnat et prosternit. Visae autem sunt linguae quoque disperitiae ad πολυγλωττα et labii varietatem ac eloquentiam stupendam depingendam. Visae tandem sunt ignitiae, ad potentiam et efficaciam

*Iof. 6. v. 20.*

faciam puritatemque verbi designandam. Reuolute annales, Auditores praeclarissimi, et explorate modum et medium, quo Restaurationis spiritualis opus in hac vrbe peractum sit? Inuenietis Spiritum S. et hic non manuum, sed linguarum operam vsurpasse; animaduertetis non ense, nec tormentis bellicis, aut effusione cruxis, sed linguae gladio, sed verborum fulgure et humanae vocis machinis. Bestiam Romano-papisticam debellasse et expugnasse. Medium hoc lingua fuit Magni Lutheri: Vox fuit insignis Theologi D. Iusti Ionae: Vox fuit D. Caspieri Crucigeri: Vox fuit Friderici Myconii, et Iohannis Pfeffingeri. Deum bonum, quibus et quantis charismati mentem et linguam sacer ignis his Ecclesiae primae magnitudinis stellis irradiauit. His non tantum post illustratam mentem et linguas disiectas et labia tam orientalia quam occidentalia, fandique copiam diuinam; sed et linguas flammeas, quibus oraculorum diuinorum purissimum iubar, et coelica dogmata, ceu laminas ardentes, ciuctulata sunt, diuinitus et ex alto concessit. Quos inter Lurtherus tanquam praecipuus Renascentis Ecclesiae Doctor et Propheta Germaniae, tertius ille Helias et Anti-christicida selectus, chorum duxit. Omnia in eo fuerunt peculiaria et supra sortem humana; Excellens sapientia, mirabilis prudentia, stupenda facundia, infracta constantia, heroica παρέγνωσις adeo ut *In Praef. Erot.*  
*Michaël Neander*, vir solidae eruditionis, non dubitauerit de eo praedicare, quod Paulo Apostolo εἰκεπέντε θαύματι non tantum (excepto θεονευστασι dono) par fuerit doctrina, sapientia et donis; sed et perspicuitate et facilitate dictorum, concionum, expositionis scripturae et coelestis eloquentiae ipso fere maior.  
 Lingua Graeca.  
 De quo Poëta cecinit:  
*Christus habet primas, habeas tibi, Paule, secundas,  
 Ait loca post illos proxima Luther habet.*

In vulgus notum est triumphale carmen, quod Theodorus Beza ei cecinit: In libr. qui inscribitur: Im-  
Roma C 3

gines illustrium  
virorum.

Roma orbem domuit, Roman sibi Papa subegit,  
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.

Quantum isto maior LVTHERV<sup>S</sup>, maior et illa,  
Istum illamque uno qui domuit calamo?

*I nunc Alcidem memorato Graecia mendax,*  
*LVTHERI ad calatum ferrea clava nihil.*

Hunc Iustus Jonas fecutus est, Theologus nominatissimus, quem Pentecostalis ignis adeo disertum reddidit, ut non tantum Ecclesiae Witebergensis, sed et Halensis moderatorem, et deinde Eisfeldensis et Francicae in Ducatu Coburgico Ephorum constituerit. Quis tam inscius ac rerum omnium ignarus, cui non dictus sit D. Casparus Cruciger, Patria Lipsiensis, alter ille Lutherus, teste Wellero,

*Agell. 17. c. 17.* qui rectius tricor, quam Quintus Ennius, graece, osce et latine loquens dici merebatur, quod Latina, Graeca, et Hebraea cum Chaldaea suada intimam in ipso sedem fixerit, adeo ut Lutherum in vertendis Bibliis mirifice adiuuerit.

*Dress. Millen. 6. p. 201.* *Matthei. conc. 13. de vita Lu-*

*theri.* *In lit. ad Geor-*

*gium Fabric.* *ingenii tanta, quantam nescio an in alio animaduarterim. Tot*

*linguas norat et omnes Philosophiae partes didicerat, et erat*

*Judicii dexteritas summa. Talis vir in vera synodo Ecclesiae*

*de praecipuis controversiis dicere sententias potuisset et debuisset.*

Quis est, cui quoque non ex monumentis constet Friderici Myconii, Gothanae Ecclesiae in Thuringia Pastoris meritissimi, in cathedra Theologica melleum eloquium?

*Dress. Mill. 6. p. 218.* Quis est, qui ignoret, Iohannis Pfeffingeri, postea Theologiae Doctoris et primi Dioecesos Lipsiensis Superintendentis, concionandilepores, aculeosque grauissimos, et literatae senectutis plenissimos, quos in animis auditorum reliquit? Quibus adiunctus fuit consiliorum causa Philippus Melanchthon, Vir in omni doctrinarum genere supra quam credibile est, excellens, vir summi ingenii, et ad scholasticorum barbariem profligandam artesque ac disciplinas

nas suo nitori restituendas quasi natus, quem Erasmus tribus speciosis cimulat encomis, insigni scilicet eruditione, rara eloquentia, et fatali quadam gratia. Animaduertitis, Auditores fauentissimi, et nostrae Pentecostes Euangelico-Lutheranae ante saeculum linguis dissechas et sacro igni accensas. Sicut enim belli Dux pugnat ferro, sic Spiritus S. voce vtitur. Ille gladiis, hic verbis; Ille manu, hic lingua; Ille tormentis, hic argumentis; Ille in acie, hic in concione; Prosternit ille corpora, hic pectora; Euertit ille arces, hic mentes expugnat; Vincit ille certando, hic loquendo. Lingua, lingua Spiritus S. docet; delectat et permouet.

Itaque peculiariter *Summo Ministerii Praefidi et Reformati*  
Sleid. lib. 17.  
ri placuit, omnes hos Theologos Saxonicos per Heinri. p. 344.  
*cum Principem laudatissimum, et velut alterum Iosaphatum, annuente Serenissimo Electore Saxoniae, Iohanne Friderico Constante, ut Pentecostes festo anni saepius laudati primordia orthodoxias promulgarent, accersere et aduocare.* Qua in re etiam et Dei gloria, et ciuitatis nostrae salute permoti Deo Spiritui S. Repurgationis auctori gloriosissimo, Principi laudatissimo, Ecclesiae et Academiae inclytae, totique vrbi spectatissimae suam pro viili operam destinarunt.

*Tempus est, ut ad actum ipsum et solennem vtrrobique verbi pars syncr. Dei praedicationem, ne vestra patientia abuti diutius videar, seos continet progrediar. Vbi viuida flamma Patris, natique effusa superne Aetate ipsum soleunissimum. Christi praeconum ora ita resoluerat, statim variis linguis locuti sunt et res θεογονεια seu magnalia et secreta efficacissime edisseruerunt. Stupendum profecto miraculum! Quilibet lingua preter vernacula calluerunt nullam, subito totius mundi linguis exactissime tenent. Audiuisse hic Hebraeam sanctissimam, Graecam sapientissimam, Romanam potentissimam, Chaldaeam grauissimam, Syram praeclarissimam, Arabicam vberrimam, Aegyptiacam clarissimam,*

Perſi-

Perficam penetrantissimam. Audiueres eos ad varias gentes Mysteria et secreta Dei oracula de regno coelorum per fidem in solum Iesum crucifixum, mortuum, et resuscitatum recumbentem obtinendo testata facere. Per-

*Psalms. 87. v. 3.* cepisses hic gloriofa ac ~~deod<sup>ξασμένα</sup>~~ illa, quae in ciuitate Dei decantanda Psalmographus promittit. Iucundissimum et tremendum simul atque augustissimum hoc procul omni dubio fuit spectaculum! Idem ferme me Christe, et hodie, qui dies id temporis fuit 25. Maii, ante saeculum hic Lipliae contigit. Non equidem linguis variis sermones habuere ad populum: Has enim ignorabat: loqui tamen potuissent, si e re fuisset auditorum. Facultas non deerat et voluntas, aliud discipulorum poscebat utilitas.

Interim in hanc Academiam, ut mox dicetur, et orientale et occidentale labium purum introduxere. Interim vere linguis locutus est Lutherus, dum labore immenso, felicitate stupenda, fidelitate admiranda sacrosancta oracula ex Hebraeo, Chaldaeo, et Graeco idiomate in Germanicum tam ornata, tam perspicue transfusa, ut plerisque in locis integri commentarii vices sustineant, Ecclesiae huic nostrae quoque, in qua sacrorum pars maxima lingua peregrina hactenus peragebatur, commendauit. Variis quidem linguis Biblia sacrosancta reddita sunt; verum si versiones omnes (addit D. Heshusius etiam Commentarios omnes,) in unam massam conflarentur, cum Bilbliis Germanicis, auspiciis Lutheri, adornatis, conferri nullatenus possunt. Testimonii loco Iohannis Sturmii iudicium, quod instar omnium esse potest, subiicio. Sic ille ad Philippum Comitem Lippianum de Exercitationibus Rhetorica inter alia scribit: *Si nullae conciones eius (Lutheri) extitissent, si nihil scriptisset aliud; quam ea, quae in V. et N. Testamento translata diuulgauit: tamen summa eius, et perpetua in hoc labore deberet extare gloria. Si enim huius germanicae*

D. Heshus. in  
confess. de per-  
sonali duarum  
Naturarum in  
Christo Vnione  
Ann. 1585. pu-  
blicata,

manicae translationi caeterae Graecorum, Latinorum, aliorumque comparentur: cedere cogentur perspicuitate, puritate, proprietate, similitudine Hebraicae originis. Credo ut Apellem nemo legitur pictorum superasse; Ita ne scriptorum quidem quispiam Lutheri conuersationem poterit vincere. Haec tenus Sturmius! O te beatam Lipsiam, cui per vas electum omnium bonorum Auctor in materna lingua semitam illum, quae recta ad astra dicit, clare monstravit.

O nos felices! o terque quaterque beatos!

Qui nostra in lingua, iam quimus dia Iehouae

Oracula et lustrare et vestigare legendi!

Qui longe melius nostris maioribus illum

Callemus callem, coeli qui ducit in aulam!

Præterea vocem suam instar tubae exaltarunt tubicines isti Euangelici dicto tempore,

Quo sacra diuini celebratur missio Flatus, et hic quoque Dei magnalia ebuccinarunt. Praeparatoria et Festum Iubilaco-Christianum indicens tuba fuit B. Lutherus, qui pridie Pentecostes coram Electore Saxonico, Domino Iohanne Friderico, et Principe Heinrico, aliisque innumeris, in arce ad Plisnam de pura verbi praedicatione, ceu verae Ecclesiae nota, ex priore parte pericopes Euangelicae Pentecostalis verba fecit. Mox prima feria, quae Spiritui S. sacra est, altera tuba Euangelica, a Spiritu S. egredie inflata, Dn. D. Iustus Jonas in templo vel Nicolaitano vel Thomano (alii enim aliter sentiunt) horis antemeridianis ex consueto textu Euangelico vocem eleuauit. Hinc altera vice Megalander Lutherus de Spiritus S. effusione, aduentu et efficacia, admirando eloquio, ex tmemate secundo Actorum Apostolicorum praedictam animauit cathedram, adeo quidem, vt ceu tertius Helias lingua sua inter loquendum veluti in flamas abiret, pectora transaret, et fide et pietatis deuotione auditores ardentes red-

D

deret.

*Ecclesiast. 48.*

deret. Hos deinceps D. Cruciger, Myconius, et Pfeffingerus ordine suo tempore fecuti sunt. His finitis, Deo per soluebantur laudum sacrificia, canebantur hymni Eucharistici et Pentecostales, in Spiritus Sancti, summi Repurgatoris et sacrae Triados gloriam. Ipse princeps laudatissimus Heinrichus ex potestate externa et ~~reprobationem~~ circa res Ecclesiasticas per deputatos Theologos aliosque Commissarios cultum et Ministerium Romano-Papisticum, nouis deinceps orthodoxis substitutis verbi Doctoribus, interdicendo abrogabat. Ita ergo, ubi Pontificii in Paschate adhuc Antichristi in chronol. p. Magni nugas vendiderunt, et blasphemias eruerunt, ibi Lutherus et alii in Festo Pentecostes in suggestis stabant, et gloria de vera fide in Christum Iesum, unicum et solum nostrum Mediorem ac Redemptorem, eloquebantur. Ita verbo diuino maiestas, Ecclesiae libertas, conscientiae tranquillitas, peccatoribus Salvator, Salvatori decus et gloria, ac gemebundis animabus coelum et vita aeternam reduebatur. Sic populus hactenus in tenebris positus vidit Lucem magnam, et positis in umbra et regione mortis lux exorta est.

Ego. v. 2. 16  
Haec facta sunt in Ecclesia. Auscultate nunc magnalia almae nostrae matris Academiae communicata. Seminarium est, et plantarium verae Ecclesiae Schola publica, quam utramque Deus iunctas iussit habere domos. Ne igitur de novo e lacunis Scholastico-papisticis venenum propinaretur Dei coetui, mox quoque, nondum trimestri elapsio, 16  
*Dn. D. Heinr. die 12. Augusti eiusdem anni, autoritate Serenissimi et piissimi Patroni, Ducis Heinrici, in consilium, adhibitis ex supra parent. D. Polyc. Lyseri Lit. B. 4.*  
nominatis Theologis, imprimis S. Lutero et Philippo, illo purioris literaturae in Germania Phoenice et Phostere, per certos Commissarios, Iustum Ionam, Casparum Crucigerum, et Fridericum Myconium, Rectore Magnifico, M. Christiano Pistorio Westerburgensi, a fordibus superiorum temporum, et ipsum hoc Lyceum repurgabatur, nouaque ac veluti virginica

ginea facie illustrabatur. Occupauerat hactenus cathedras publicas et auditoria Theologia scholastica, quam Lutherus ita depingit: *Quid ali⁹ in Theologia scholastica Lush. Tom. r.  
didicerint ipsi viderint. Ego scio et confiteor, me aliud nibil Lat. Ienens⁹ in  
didicisse quam ignorantiam peccati⁹, iustiriae, baptismi, et to Resolutionibus  
tius Christianae vitae, nec quid virtus Dei, opus Dei, gratia ſuper Propoſi-  
Dei, iustitia Dei, fides, spes, charitas fit. Breuiter: non ſolum tionibus Lips.  
nihil didici, ſed et non niſi dideſcenda didici, omnino contraria disputatis  
diuinis literis. Ego Chriſtum amiferam, nunc in Pauloreperi. Ex- p. 303. b.*  
ploſa igitur fuit hirciflans illa Magiftrorum noſtrorum So- phistica et Scholastica Doctrina, quae regnum in Theologia occupauerat, expulsi ſunt ſententiarum Magister, quartus ille Antichriſti Euangelista, Thomas, Doctoř Seraphicus, Gabriel, Occam, Bonauentura, Scotus, Albertus et similes, et scriptura reuocata, Moſes, Prophetae, Christus, Euangelistae et Apoſtoli reſtituti, et ita egregie Theologia illuſtrata fuit. Ac cathedrae Theologicae repurgatae, *Videatur Dn.  
Profefſores publici conſtituti ſunt ex hac Academia L. D. Heinricus Hopf⁹. cit. l.  
Nic. Scuebelius, Konigshouensis, et D. Iohannes Sauerus. Il- lis aliunde, Witeberga nempe, adiungebantur Collegae D. Jacobus Schenckius, et Alexander Aleſius, nobilis Scotus, ex veteri Alexandri de Ales, Praeceptoris Bonauenturae et Thomae, quem Doctorem irrefragabilem et fontem vi- tae appellarunt, familia oriundus, in ſacris literis egregie doctus, et diſputator acutus ac peritus. Nec praetermittendus nobis eſt Casparus Bornerus, Haynenſis, qui ſequenti ſemestri die Galli in thermis haerens Bohemicis Rector Academiae deſignatus eſt, et ita reuocatus fuit, at non parum inuitus fasces Academicos fuſcepit. Is anno 43, cum quatuor aliis Doctor Theologiae creatus, fa- Albin. in chro- nic. Misn pag.  
cras quoque literas Lipsiae docuit, et fere ſolus Academiae 700. et 701.  
onuſ et ſpem literarum (verba ſunt Fabricii ad Iulium Pflu- gium) ſuſtinuit, Paulinum Collegium, Principis Mauritiſ bene- ficio*

ficio acceptum, aedificiis et Bibliotheca auxit, ac semper publicae quam priuatae rei magis inservuit. Correcta praeterea fuit Iurisprudentia, et Gratianus ac Corpus Canonicum quoad fermentum pontificium antiquatum. Atque ut Themis repurgata radios suos eo clariores dispergeret et explicaret, *Simon Pistorius*, ex erudita familia natus I. V. D. celeberrimus, Ducis Georgii Cancellarius Magnificus, lumen illud Iurisprudentiae, cui in cunctis Germaniae Academias tum non fulsit simile, post fata Ducis Georgii ad pristina studia Academica veluti postliminio rediit, et Ordinarius, frustra primariam Iuris Pontificii lectionem Ingolstadiensibus ipsi offerentibus, audiit. Tum quoque Medicina restituta, et ex tenebris barbarieque in lucem Philosophia reuocata est. Altera enim praecipua sequioris illius saeculi et Academiarum macula fuit barbaries, informe, immane et horrendum illud monstrum, quod in contubernio suo potissimum monachi, horumque similes, id est, ignavi et ignari ventres, data opera aluerunt et sanguinarunt, quod ex philosophia et artibus impuris omnia disciplinarum genera minace rostro irruerat, pedibusque petulcis perreptabat. Graeca non intelligebantur, Hebraea ignorabantur, latina barbaris et ineptis voculis effetti ita emaciabantur, ut sece amplius non intelligerent. In artibus *anadivota* et confusio ac Sophistica dominabatur. Cepit quidem per Petrum Mosellananum, virum linguarum cognitione praeclara instructum, et Xenophontea suauitate disertum, lux quaedam artibus affulgere in hac Academia, sed re adhuc imperfetta moriebatur. Postquam vero Euangelii lux resulfit, ad consilium *Philippi Camer. in vita Melanchthonis Joachimus Camerarius* huc vocatus est, a quo politiores Musae spiritum et sanguinem reeperunt, ut Lipsia literaturae melioris et sapientiae omnigenae (quae olim Graeciae laus fuit) emporium iure audiat. *Illegitamus*

*Camer. in vita Melanchthonis*  
*Philippi p. 185.*

ras habuit Camerarius eruditissimos in diuersis scientiis et  
 artibus, D. Wolfgangum Meurerum, tam in Medicina quam  
 Philosophia Virum Excellentissimum; In literis Hebraeis  
 Bernhardum Zieglerum, Antonii Margaritae quondam disci-  
 pulum. De quo Hommelius dixit: Bernhardus Zieglerus Alb. in chron.  
 natus in familia equestris huius gentis cum linguae Misn. p. 704. Hebraeae  
 magnum usum haberet, non solum huius aetatis studiis in ea  
 lingua, sed etiam posteritati profuit. Mathemata docuit  
 Ioachimus Rheticus, Iohannes Homelinus, et Valentinus Thaua.  
 Possem hoc Dei beneficium, Academiae nostrae ante sae-  
 culum gratiosissime praestitum, ampliare munificentia  
 summa Generosissimorum Heroum et Ducum Saxoniae  
 Mauriti et Augusti, Electorum Imperii, qua repurgatam A-  
 cademiam, Ille quidem Collegio et templo, cui insisti-  
 mus, et pagis syluisque late patentibus, stipendiis ac sala-  
 riis auxit et promovit, hic vero cura sollicita, amore pro-  
 licho, pietate eximia, ac meritis amplissimis illustravit. Sed  
 hora vellicat aurem, inque tempus aliud haec reseruanda  
 suadet. Ultimam itaque Collationis lineam, Euentum scilicet  
 vtriusque Reuelationis Euangelicae attingo. Duplex fortie-  
 batur doctrina Apostolica auditorium. Quidam erant 5. Pars edifferit  
euangelium felici-  
cissimum.  
 εὐλαβῆς et religiosi: quidam empectae, qui susque deque  
 habebant omnia et blasphemabant. De contemtoribus  
 Monachis quibusdam, repurgatae doctrinae maxime ad-  
 uersis, de osoribus eiusdem ac subdolis Caluinianis, qui  
 iugulum verae Religionis Lutheranae non semel in hac  
 vrbe petere manibus pedibusque annisi sunt, nihil dico.  
 Fuerunt enim fulgura illorum e pelvi, quae sumimus Ie-  
 housa cito extinxit, antequam in flamمام abirent inge-  
 tem. Cogitationes vestras tantum adhuc ultra saeculum  
 reflectite, et pios Maiores considerate, atque ita confide-  
 rate, vt ardore ipsorum vos quoque inflammemini.  
 Deum bonum! quanta hic copia fuit virorum et foemina-

rum, iuuenium et virginum ἐνλαβέσσω, quantus ardor erga religionem, quantum gaudium ob veritatem coruscantem? Vidisse p[ro]ae infinita copia densari tempa: Animaduertisses ignea illorum erga Dei verbum pecto-  
ra. Confexisles flammiuomas eorundem linguas, qui-  
bus Deo immortali in genua prouoluti gratias exolute-  
runt. Audiuisse mera gaudia et iubila, quibus vel ipsam  
terram aëremque ad coelum vsque repleuerunt. Sic  
Deus exhilarauit immensum, quos nimium quantum depresso-  
rat et humiliauerat. Sic Deus elegit Lipsiam in peculium su-  
um, et dilexit Ieboua portas illius velut alterius Tzionis supra  
*Psalms. 95. v. 4. quam ulla tabernacula Misniae.* Honorificentissima sunt, quae-  
*Pf. 87. v. 2. cunque nunc in hac ciuitate Dei praedicantur.* Ita, quod  
Poeta quidam de Witeberga cecinit, paucis immutatis,  
de nostra Lipsia praedicare possumus, dicentes:  
Nunc Christiani corculum est Mox Misniae prouincias,  
Vrbs facta Lipsiensis, E liquido canali  
Vbi sacrosancti dogmatis Tubae Lutheri spiritu  
Clangor per vniuersas Ardente percrepabat.

Hic illud hic Ecclesiae  
Donarium latebat,  
Heinricus ob quod Misniae  
Dux cuncta deuouebat.

*Epilogus.*

Sed quo abripior? Orationem abrumpo et receptui-  
cano. Cognovisti, Magnifice Rector, Auditores honoratissi-  
mi, insigne Ecclesiae et Academiae nostrae Lipsiacae Repurga-  
tionis et πατερικας beneficium tale ac tantum esse; ut quoad  
tempus antecedens tristissimum, praesens vero laetissimum, Au-  
torem principem nobilissimum, Medium et Organon suauissi-  
mum, modum et Actum ipsum glorioſissimum, ac tandem euentum  
felicissimum cum illustrissima Euangelii patefactione, ipso die  
Pentecostes a Spiritu S. per Apostolos magnifice peracta, suo  
modo sat commode conferri possit.

Quid

Quid retribuemus nunc Domino pro omnibus quae retribuit nobis? Misericordias eius cantabimus in aeternum, labia nostra laudabunt eum, et in nomine ipsius leuabimus manus nostras. Praeibo ego voce: vestrum est deuota mente sequi.

O Domine, Deus Patrum nostrorum, qui ipse Pater es omnismisericordiae, hymnum cantamus nomini tuo, et exultamus in te salutari nostro. Maiores ante saeculum sedderunt in tenebris, nos videntur lucem magnam. Illi habitarunt in regione et umbra mortis, nobis lux orta est splendida. Primae scintillulae emicuerunt hodie retro saeculo, et totam cum urbe Academiam illustrarunt. Tui, o Domine, amoris, tuae bonitatis hoc opus est unicae. Tu coelitus vindicasti patres nostros a pontificia tyrannie. Tu misisti ventum tuum, qui hostes veritatis dissipauit, et cruenta consilia disruptit. Tibi itaque benedictio, et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honos, et potestas, et virtus sit in saecula saeculorum; Amen!

Tu inter varios tumultus et vicissitudines conservasti vineam apud nos plantatam, et bina vice Ecclesiam hanc a veneno Caluinitico propitijs purgasti. Tu laboribus Dnn. Professorum benedixisti in hac Academia, ut subinde dignos operarios, qui in messem mysticam emittantur, produxerit. Tibi itaque sit benedictio, et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honos, et potestas, et virtus in saecula saeculorum. Amen!

O quanta, et o quam multa fecisti nobis in proximis elapsis annis! Interitus aliquoties imminuit Ecclesiae, imminuit Academiae, imminuit tori ciuitati: sed tu protexisti fortiter, tu conservasti iugiter. Stat adhuc Lipsia, stat in illa Ecclesia, Sion altera, stat Academia, stant templa angustissima. Laetamini ergo coeli, et qui habitatis in eis: Benedictus sit Dominus Deus Zebaoth, qui fecit facitque mirabilia solus. Tibi, gloriose conservator, sit benedictio, et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honos, et potestas, et virrus in saecula saeculorum Amen! Ad te porro, Clementissime Pater, calidis precibus suspiramus: Lutheranam puritatem et Orthodoxiam, aureum illud verbi tui depositum, nobis servum

tum teclum deinceps etiam conserua, magis illud magisque prolata;  
 suffice sinceros Ecclesiae ministros, qui agnitum veritatem puriter  
 suis auditoribus insillent, et contra haereticorum nebulas ac sophis-  
 mata afferant. Sint fidi Magistratus, qui Ecclesiae hospitia, et  
 Musis nidulos et aluearia ac sustentationem in hoc fatali tumultu,  
 et rerum omnium admirandis conuerzionibus praebant. Valeat  
 inter eos felicissime Serenissimus ac Potentissimus Elector Saxonie  
 etc. Dominus et Academiae nostrarae Patronus clementissimus! Vi-  
 uat is cum tota domo Saxonica augustissima! Viuat quam felici-  
 sime Academia, et in ea Rector Magnificus cum Per-Reuerendis,  
 Consultissimis, Experientissimis et Clarissimis Professoribus, cum  
 Docentibus et discentibus! Viuat senatus urbicus amplissimus cum  
 tota ciuitate laudatissima! o Princeps Pacis surge, et bella dissipa,  
 ac pacem almam terris nostris indulge: Pereant, qui mera bella  
 crepan: Valeant autem pacisci! Tandem ex hac militante Eccle-  
 sia et Academia cum gudio et iubilo absque omni macula in trium-  
 phantem nos omnes recipe. Fiat id! fiat! o Domine Deus noster,  
 tum altiore tono inter mele mere melle resonabimus cum choro Se-  
 raphico: sanctus, sanctus, sanctus, Dominus, Dominus Deus omni-  
 potens, qui erat, et qui est, et qui venturus est; Plena est, plena  
 sit maneatque terra gloria eius ex hoc nunc et usque  
 in saeculum!




AB: 154071



82

KD 28

Vd 17



### Farbkarte #13

B.I.G.



*a/z* ECCLESIA ET ACADEMIA LIPSIENSIS  
LVTHERANO-EVANGELICA:

30

# ORATIO SAECVLARIS

IN

IVBILAEO ECCLESIAE ET  
ACADEMIAE LIPSIENSIS

IN DEI GLORIOSISSIMI LAVDEM ET HONOREM,  
INQVE MEMORIAM ADMIRANDAE VTRIVSQUE LIBERATIONIS E  
REGNO PONTIFICIO ANTE SAECVLVM, AN. MDXXXIX. IPSO DIE PENTE  
COSTES, QVI XXV. MAII FVIT, COELITVS DONATAE, RESTAVRATAEQVE  
IBIDEM PVRIORIS DOCTRINAE EVANGELICAE,

HABITA ET DICTA

IN TEMPLO PAVLINO ACADEMICO

IPSO DIE PENTECOSTES,

QVI ERAT II. IVNII, ANNO CIO IO C XXXIX.

A

L. ANANIA WEBERO,  
SS. TH. P. P. ET ECCLESIAST. AD D. THOMAE.

---

ANNO SECUNDO IVBILAEO REFORMATIONIS  
LIPSIENSIS M DCC XXXIX.

TYPIS REPETITA.

---

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.